



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiæ Augustæ Scriptores VI

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius
Lampridius. Flavius Vopiscus

Spartianus, Aelius

Lugduni Batavorum, 1671

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51177)

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

UT spectatus jam toties rerum eventus, & longa dies gratum orbi laborem nostrum predicat; a videque distracta exemplaria, fraterna industria testantur faultrices doctorum omnium familias, stimulus & calcar ad majora additum, utque gratum illum animum pari virtute nostra exciperet aequitas, placuit, nihil morantibus immensos sumptus, Novum, difficile, & prater expectationem arduum opus magno animo aggredi. Historie Augusta Scriptores, inquam, sex celeberrimos tentatum antea, sed minus feliciter pelagus. Non tamen cum maxime lusa spes, nec decepta expectatio. En tactam decurso spatio metam. Habes, Lector, quod nemo hactenus, quamvis avidus sibi polliceri ausus fuerat. Habes quod mente petisse, maxima (ut opinamur) fuisset invidia. Nec membris truncatos, luxatos, mutilosve extrudimus auctores; omnibus potius numeris absolutos, & variis modis expolitos donamus.

Quod ad textum, subjectam illam tot celeberrimis ingeniis ad dicendum materiam, prestamus vobis nitidum, & sine labe magno opere ad praestantissimum, hoc est, Salmasianum exemplar examinatum. Quaeque typographorum incuria irrepsert, ex adjectis erratis ejecta, omniaque suae elegantiae & debito nitore restituta. Insuper, ad invidiam Salmasianae editionis totum in minuta capita dissectum opus, quod quanta studiis importet commodam adstruit doctorum hominum opinio.

Non nobis satis oris ire in laudes hujus materiae, nec tam docta manus, quae suis Auctorum dignitatem coloribus depingat. Damus divinos vobis artifices, rei literariae trium viros, non sine veneratione predicanda nomina,

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Casaubonum, nobile illud Galliae ornamentum, Grutterum celebrem Criticum, denique Salmasium orbis totius miraculum.

Quid est, Amice Lector, quo ulterius nostra voluntas progredi possit? Integras offerimus horum omnium notas, ne litterula detracta. Opus certè profunda eruditionis & varia. Habet Historicus quo suum delectet otium. Habet Antiquitatis scrutator serius colendi ingenii materiam, Graeci & Latini idiomatis studiosus refertum verborum & Phrasium armamentarium. Nec conferenda Salmasiana editio (exemplarium defectu multis retro annis multis expetita) cum nostrâ hac. Omisissis aliis indicio sint integra Grutteri in hos auctores commentaria, fidem faciant locupletissimi Indices omni cura expoliti, denique facilis Notarum dispositio, Typorumque elegantia. Nostro igitur hoc labore frueri, Lector, & gaude, donec similes fatus aëto tempore proferet industria. Vale.

INDEX